

Jacob Fabricius Heinrich Haselberg

Disputatio Inauguralis De Pleuritide

Rostochii: Pedanus, 1625

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729702936>

Druck Freier  Zugang



Inaco.)

Fabricius, Jacob

Recp.: Haselk. Steiner.

R. M. med. 1625

8
DIPLOMATATIO INAUGURALIS

De

EURITIDE,

QUAM

Divinâ aspirante gratiâ,

et Decreto Amplissima Facultatis Medicæ,
Inclutâ et Antiquâ ad Varnum Academiâ,

PRÆSIDE

ACOBO FABRICIO,

et Archiatro Megapolitano, Pro-

ubl. ac Collegii Medici DECANO,

promotore, Favitore & Præceptore suo

observanter colendo,

in arte Medicâ honoribus et privile-
giis consequendis,

PUBLICÈ PROPONIT

ENRICUS Haselberg

ROSTOCHIENSIS,

XX. Septembr. Horis ante et pomeri-
dianis, in auditorio magno.



ROSTOCHII

excusa à JOACHIMO PEDANO

M. DC. XXV.

49

DISPUTATIO INAUGURALIS

8

De

PLEURITIDE,

QUAM

Divinâ aspirante gratiâ,

*Auctoritate & Decreto Amplissima Facultatis Medicae,
In Inclusâ & Antiquâ ad Varnum Academia,*

PRÆSIDE

DN. JACOBO FABRICIO,
Med. Doct. Archiatro Megapolitano, Pro-
fessore publ. ac Collegii Medici DECANO,
Promotore, Favitore & Præceptore suo
observanter colendo,

*Pro summis in arte Medicâ honoribus & privile-
giis consequendis,*

PUBLICÈ PROPONIT

HENRICUS Haselberg
ROSTOCHIENSIS,


*ad diem XXX. Septembr. Horis ante & pomeri-
dianis, in auditorio magno.*



ROSTOCHII

*Excusa à JOACHIMO PEDANO
M. DC. XXV.*

49





DE
PLEURITIDE
Thesis I.

Pleuritis morbus thoracis molestissimus, nomen habet $\delta\alpha\pi\acute{o}\ \tau\acute{\omicron}\ \pi\lambda\upsilon\tau\acute{\omicron}\rho\acute{\epsilon}\omega\varsigma$, id est, à latere, vel $\delta\alpha\pi\acute{o}\ \tau\acute{\omicron}\omega\upsilon\ \pi\lambda\upsilon\tau\acute{\omicron}\rho\acute{\epsilon}\omega\upsilon\varsigma$, id est, à costis, quas occupat, unde Hipp. I. Prognost. Pleuritidem $\acute{\alpha}\lambda\gamma\eta\mu\alpha\tau\acute{\omicron}\ \tau\acute{\omicron}\omega\upsilon\ \pi\lambda\upsilon\tau\acute{\omicron}\rho\acute{\epsilon}\omega\upsilon\varsigma$, & 2. de Vict. in Morb. acut. $\acute{o}\delta\upsilon\beta\lambda\epsilon\omega\ \pi\lambda\upsilon\tau\acute{\omicron}\rho\acute{\epsilon}\omega\upsilon\varsigma$, id est, dolorem costarum appellavit. Alii modò Pleuresin, modò Pleuritidem, Celsus & pleriq̃ Latini dolorem aut morbum lateralem nuncupant. Germanis das Seitenweh/ Seitensstich/ item Brustgeschweer dicitur.

II.

Duplicem agnoscunt pleriq̃ Medicinæ scriptores veram seu exquisitam & magis periculosam unam: & alteram non veram, sed notham & minus periculosam.

III.

Exquisita propriè dicitur membranæ costas succingentis inflammatio, secundum Galenum, orta ex affluxu Sanguinis tenuioris, ferventis ac præcipuè biliosi, cum dolore punctorio, febre acuta, pulsu duro & serratili, difficili respiratione & tussi vehementi.

IV.

Minus exquisita & notha à Causis, Subjecto & Sympto-

ptomatibus veræ Pleuritidis variat, inq̄ eâ potissimum inter costales externi & reliqui pectoris muscûli & cutis ipsa patiuntur.

V.

Subjectum Pleuritidis sunt partes lateris subcutaneæ sensu præditæ, nimirum pleura & muscûli illi continui tam interni quàm externi.

VI.

Et quia de vera ac exquisita potissimum agere animus est, hujus causam internam proximam & immediatam constituimus sanguinem, omnesq̄ humores fermentes atq̄ inflammationem excitantes, imprimis bilem sanguini permixtam, plurimum calidam, & tam naturâ, quàm alio modo alteratam.

VII.

Ex solius enim Pituitæ aut simplicis Melancholiæ abundantia, etiamsi falsedinem atq̄ acredinem sibi adjunxerint, veram Pleuritidem suboriregamus.

VIII.

Causæ internæ antecedentes sunt jecoris intensa caliditas, immoderata sanguinis copia atq̄ tenuitas, solemnis evacuationis & consueti fluxus suppressio, partis mittentis robur, recipientis nativa vel ascititia imbecillitas; quibus addi possunt temperamentû, ætas, consuetudo, sexus, habitus.

IX.

Causæ evidentes & externæ variæ constitui possunt, præcipuæ autem sunt, quæ sanguinem quovis modo calefacere, attenuare & fluidum reddere, vel fluorem concitare & commovere possunt; uti victus ratio calidior, æstus humores colliquans & frigus constipans & constringens cutis poros subito superveniens, ut à balneo vel sudore, largus haustus frigidus, aut vini meracioris haustus fortis & immoderatus, maximè post validam
corpo-

corporis exercitationem: Item lapsus, violentus in latera-
ictus, vociferatio, cursus, venena, &c. quin & morbum
hunc producere non parum valent Regiones frigida, &
constitutiones aëris Aquiloniæ, idq; genus similia.

X.

Signa alia sunt Diagnostica, alia Distinctiva, alia
Prognostica.

XI.

Signa Diagnostica alia partem affectam, alia ipsum
affectum, alia affectus causam ostendunt.

XII.

Partem affectam: Pleuræ pars dextra vel fini-
stra, vel inferior vel superior, an sit affecta per se est ma-
nifestū: Utrum verò membranæ pars interna versus pul-
mones, an altera interna versus costas magis laboret, hoc
imprimis argumento Gal. libr. 2. de Constitut. cap. 15.
tradidit: Si pars interior inflammata fuerit, æger diffi-
lius in parte opposita, facilius in parte laborante decum-
bet: Contra si pars externa circa ossa inflammetur, æger
facilius in opposito latere quiescet: Si verò ambæ mem-
branæ partes ægrotent, super utroq; latere æqualiter de-
cumbet.

XIII.

Ipsam affectum demonstrant Signa vel Insepara-
bilia vel Separabilia. Inseparabilia vel Pathognomoni-
ca, & Demonstrativa Signa quinario complectitur nu-
mero, Galenus 5. de loc. affect. cap. 3. & libr. de Constit.
art. cap. 15. & pluribus aliis in locis, quæ & Thesis 3. ha-
bet. Separabilia seu interdum apparentia sunt: Gena-
rum rubor, sitis, inquietudo, cerebri & mentis læsio.

XIV.

Affectus causam: Si sanguis purus in causa sit, fe-
bris erit homotonos, sputum rubrum, urinæ rubræ, ve-
næ tumidæ, habitus corporis bene constitutus, carnosus,

A 3

San-

Sanguineus, victusq̄ præcedens delicatus valdè, corpus augens, quiq̄ sanguinem plurimum procreandi vim habet, Tempus item, Regio, Ætas. Si sanguis biliosus, dolor acerbissimus & maximè punctorius est, pulsus durus, creber, febris vehemens & ad tertium diem exacerbatio, urina sputumq̄ flavescens, oris amaritudo: Adhæc habitus corporis gracilis, ætas, victusq̄ præcedens biliosus, regio item bili respondens. Si pituitosus, dolor gravans potius quàm pungens, sputum candidum & spumofum, febris remissior, sed quæ quotidie exacerbatur. Si melancholicus, quod omnium rarissime fit, sputum nigrum est & livescens, febrisq̄ quarto quoq̄ die intensius ægrum adficit.

XV.

Signa Distinctiva alia veram Pleuritidem à falsa, alia Pleuritidem à similibus affectibus discernunt.

XVI.

In Pleuritide falsâ & spurîâ est quidem dolor, sed non pungitivus, & præsertim si fiat à flatu, qui prout vel tollitur vel dissipatur, sic dolor aufertur vel augetur. Non adest tussis, aut sicca & satis obscura, nec febris, nec anhelitus difficultas magna: Sputa si quæ exeunt, flatulenta sunt, alba, cruda, & super latus affectum decumbi non potest, sed super adversum. Contraria autem signa sunt in Pleuritide verâ.

XVII.

A Peripneumoniâ seu Inflammatione pulmonum distinguitur, quoniam in hac spiratio longè difficilior est quàm in Pleuritide. Dolor vel nullus, vel exiguus & potius gravativus quàm pungens. Tussis ut plurimum humidior, sed perpetuò molesta: Febris semper est acutissima &

ma & vehementissima, pulsus major & mollior: Quibus probe consideratis non difficile erit Peripneumoniam à pleuritide distinguere.

XVIII.

Ab Epatis inflammatione, in qua dolor non est pungitivus, sed potius gravativus, qui circa spurias costas in latere dextro sentitur, pulsus mollis, non durus nec fer-ratus, tussis exigua & sicca, difficultas anhelitus pauca, urinæ magis colorata, alvi excrementa nonnunquam lo-turæ carnis recens macerata similia, universi corporis & faciei color mutatur subito atq; decorem amittit, inter-dum quoq; adest singultus.

XIX.

A difficili respiratione, in qua tussis humida cum sputis crudis, viscidis & crassis, nec febris adest, nec dolor pungitivus.

XX.

Ab Empyemate, in quo sputa semper sunt copiosa, purulenta, quæ neq; febrem neq; alia symptomata minuunt, & si moveatur thorax illius, qui Empyemate laborat, percipitur fluctuatio materiæ, modò huc, modò illuc vergentis, contra quam in Pleuritide fit.

XXI.

A Mediastini inflammatione, in qua dolor, ante-rius usque ad ossa pectoris & usq; ad collum transit, ple-rumq; per medium pectoris in longitudine: aut dolor sentitur posterius communicans Spondylibus pectoris, & accidentia veræ Pleuritidis valde intensa sunt, & sæpe-numero ægrum ad delirium trahunt & mentis alienatio-nem.

XXII.

Ab Inflammatione Diaphragmatis, quàm Avicen-nistæ ad sævissimam Pleuritidem referunt, quod in hac dolo-

dolorem sentiant in costarum, imisq̄ extremitatibus os-
sium pectoris, & accidentia, quæ Pleuritidi semper adesse
solent, sint sæviora, ægrumq̄ ad infaniam & mentis im-
potentiam perpetuò deducant.

XXIII.

Prognostica. Ab initio statim sputum apparens
leve, æquale, subalbidum & coloratum, morbi benigni-
tatem & brevi subsecuturam solutionem ostendit. Con-
trà nullum & omninò crudum apparens, morbi longitu-
dinem & malignitatem denuntiat. Facilis Symptomatu
tolerantia morbum arguit levem & ægri salutem 1. de
Crisib. 12. Pleuritidi superveniens alvi fluxus, malum 6.
Aph. 16. A Pleuritide peripneumonia, malum 7. Aph. 11.
Utero gerentibus sæminis pleuritis perniciofa 5. Aph. 31.
Alvum naturâ humidam habentes pleuritide minimè
corripiuntur 2. Prognost. 19. libr. de Aère Aq. & loc. &
Gal. 6. Aph. comm. 33. Pleuritici nisi intra dies 14. super-
nè repurgantur, ad suppurationem vertuntur 5. Aph. 8.
Qui verò suppurantur, si à ruptione Empyematis intra
dies 40. repurgentur, liberantur: si verò non purgentur
in Tabem transeunt, 5. Aph. 15.

XXIV.

Pleuritis autem diversis modis terminari consuevit.

XXV.

Resolutione, ubi materia morbosa vel dissolvitur
& vel sensibilibiter vel insensibilibiter, e. g. per ptyalismum
aut excreationem, per hæmorrhagiam narium Gal. 10.
meth. cap. 5. per hæmorrhoides, per menstrua, per sudo-
rem; vel cum natura excrementum in nutrimentum
convertit.

XXVI.

Hunc sequitur alter terminus Suppuratio vel ma-
tura-

sturatio, ubi materia suppurata pars quotidie expellitur
ad diem 40, & qui interea non repurgantur vel per al-
vum, vel per urinam, in phthisin incidunt.

XXVII.

Sed quo pacto per vias urinarias materia expurge-
tur inter omnes non convenit. Neq; propterea cum quo-
vis litigabimus, satis superq; rati, cum Hippocrate uni-
versum corpus perspirabile & permeabile statuere, natu-
ramq; sibi saepe in vivo corpore facere ductus, quos in ca-
davere reperire impossibile est.

XXVIII.

Tertius terminus est, cum degenerat in alium mor-
bum, ut. e. g. in Peripneumoniam 7. Aph. II.

XXIX.

Quartus est, ubi ob malitiam phlegmonis partem
affectam in fuscam gangrenam pertrahit.

XXX.

Quintus deniq; terminus est, cum induratur & scir-
rhescit, quod tamen raro vel nunquam contingere testa-
tur quotidiana praxis.

XXXI.

Nunc ad curationem accedemus, cujus scopi præ-
cipui sunt, Doloris mitigatio, morbi extirpatio, & partis
affectæ roboratio.

XXXII.

Hæc præstabuntur tribus usitatis præsidii, Diætâ ni-
mirum, Pharmaciâ & Chirurgiâ.

XXXIII.

Victus ratio accommodata ante omnia instituatur,
quæ pro causarum diversitate & virium collatione perfici-
tur.

XXXIV.

In initio itaq; & virtute robusta victus sit tenuis, ut

B

Aqua

Aqua hordei, vel ptisana colata, quæ & alimenti & medicamenti vim supplet, de cuius usu & exhibendi modo Hippocrates multis in locis & Galenus libro proprio satis prolixè agunt.

XXXV.

Si verò vires non sufficiant, ut æger ad statum perdurare possit, mox in initio plenius nutriendus, & quidem pro nostratium comedendi consuetudine, jusculis carniû gallinarum, ovis sorbilibus saccharatis, cremore Amygdalarum, &c. notandò tamen ut quo propius æger à statu abest, eò parcius cibetur.

XXXVI.

Potus Veterum erat Aqua hordei, Mulsa, Nostri Aq. hordei exhibent, cui vel parum Glycyrrhizæ & Cinnamonomi incoxerit, vel cui pro ratione humoris morbifici aliquid Syr. Violar. Capillor. Veneris, aut de Prassio, de Hyssopo adjiciatur.

XXXVII.

A vino tanquam veneno abstinendum. Et quantò magis Pleuriticì appetunt vinum, tantò magis prohibendum. Sicut autem cum morbus remisit alimenta pleniora indulgemus, ita & tunc vinum, dulcius & ὀλιγοφόρον, non austerum aut acidum, si virium debilitas timeatur, exhibere licet. Quo casu tutò buccella panis vino tenui vel Aq. violar. diluto immergatur, sæpiùs naribus admoveatur, & ex intervallis inde parum exsugatur.

XXXVIII.

Aër sit temperatus, interim ad caliditatem parùm vergat.

XXXIX.

Vitentur motus corporis & animi, nisi Pleuritis suppuratione solvi velit.

XL. De

XL.

Decubitus sit conveniens ægro, & somnus solito
diutius protrahatur.

XLI.

Alvi excretiones vel spontè vel arte procurentur
quotidiè.

XLII.

Victu instituto commodo Doloris sedationi, si qui-
dem is potentiùs urgeat, studendum. Eapropter Hipp.
2. de Vict. in acut. & 1. de morb. curationem Pleuritidis
à Fomentatione auspicatur, tum ut exploret spuriàne sit
an vera pleuritis, tum ut dolorem mitiget.

XLIII.

Si lenis pleuritis sit & benigna facili negotio Fo-
mentorum & Cataplasmatū usu mitigabitur, vel omni-
nò etiam tollitur. Quæ si sufficiant, non opus est ad ma-
jora remedia, venæ sectionem scil. & purgationem acce-
dere.

XLIV.

Fomentationes ita fiunt : Aqua calida cum spon-
gia madefacta & admota. Item Vesica suis Ol. conve-
nienti impleta, calidèq; applicata. Item ex Anetho, My-
lio torrefacto & Sale sacculis infutis.

XLV.

Cataplasmata fieri possunt ex Malva, Althæa, Me-
lilot. Chamomill. Violar. parietar. Sem. Fœnugræc. Li-
ni, Anethi, Fænic. Flor. Violar. &c.

XLVI.

Post Fomentationes, si necessitas postulat, inunga-
tur pars affecta linimentis compositis ex Ol. Viol. A-
mygd. dulc. Lilior. alb. Chamomill. Aneth. Mucilag. sem.
Lini, vel Unguent. Resumptivo, Ung. Dialth. &c.

B 2

XLVII. Si

XLVII.

Si verò major humorum copia subsit, quàm ut Fomentorum & Cataplasmatum usu discuti possit, alia in-
eunda erit curationis via, quâ morbi causa extirpatur.

XLVIII.

Morbi extirpatio venæ sectione & purgatione per-
agitur. Num verò à purgatione, an verò à venæ sectio-
ne sit auspicandum, dubitare quis potest.

XLIX.

Præcipit Hipp. 2. de vict. in morb. acut. dolore ad
claviculam ascendente, mittendum esse sanguinem, de-
scendente verò ad hypochondria purgandum esse.

L.

Hanc Hippocratis sententiam quoq; amplectun-
tur Paulus, Aëtius & alii, quod tamen tum demum lo-
cum habet, ubi dolor levior est, aut corpus cacochymi-
cum, aut ubi materia turget.

LI.

Avicenna verò, Galenus, Aretæus, Celsus & recen-
tiores ferè Practici omnes uolunt, longè tutius esse in o-
mni pleuritidè, dolore etiam descendente ad hypochon-
dria, venam secare, (nisi quid prohibeat) quàm adhibere
Catharticum.

LII.

Horum opinio ob causas & rationes sequentes po-
tius amplectenda: 1. Quia in vera Pleuritide semper ad-
est febris acuta & vehemens. 2. Quoniam in eâ semper
est dolor acerbissimus, in quo nullum magis efficax &
præsente remedium phlebotomiâ esse docet Gale-
nus Comment: 23. lib. I. Aphor: 3. Quia magis est in Me-
dici potestate, quàm medicamenti exhibitio.

LIII. Quæ

LIII.

Quæ autem vena secari debeat, inter Medicos Arabes & Græcos antiquissima & ingens fuit controversia.

LIV.

Arabes & qui eos sequuntur, secandam semper volunt ab initio, humore adhuc in motu existente, venam malleoli vel poplitis affecti lateris. Deinde ratione ejusdem Revulsionis venam brachii oppositi. Denique ratione Derivationis & Evacuationis venam brachii lateris affecti.

LV.

De hac sententiâ egregiè loquutus est Fern. libr. 2. meth. med. cap. 5. ubi inquit: Quid opus est tot phlebotomiis laborantem defatigare, quem potest una à tanto malo redimere?

LVI.

Aliam ab hac Arabum tuetur opinionem Andr. Vesalius, qui in omni Pleuritide, sive dextri illa sit, sive sinistri lateris, Basilicam aut humeralem, dextri brachii secandam jubet. Quam tamen sententiam postea in suis scriptis revocavit.

LVII.

Hippocrates tandem & Galenus eorumq; non pauci interpretes, quos hodierni Practici sequuntur, quibus & nos ad stipulamur, in omni Pleuritide verâ venam brachii Jecorariam affecti lateris, quacumq; die aut horâ id morbi natura postulare videbitur, aperiunt.

LVIII.

Quâ ratione revellitur humor fluens, Derivatur humor influxus, nondum tamen impactus, & evacuatur, qui patienti particulæ infixus est, nisi fortassis Pleuritis ab evacuatione solitâ suppressâ, vel Mensium vel Hæmor-

rhoidum &c. originem habens, de aliis venis incidendis
Medicum monuerit.

LIX.

Non tamen unicâ vice tota sanguinis requisita copia detrahenda, sed pluribus : quin semel eo evacuato, ad fomentorum usum redire possumus, iterumq; quam diu dolor urget, phlebotomiâ incumbere, respondentibus alijs, unde Anaxioni undecimo die morbi venam secuit Hipp. in libr. Epid. Dolor verò ubi bonis cum ægri rebus remiserit, apparente in super sputo, sanguis retinebitur.

LX.

Quantitas educendi sanguinis, pro magnitudine morbi, naturâ ægri, sexu, & viribus, regione & consuetudine, Medici iudicio relinquatur.

LXI.

Quin viribus prostratis sæpenumerò venæ sectionis locum suppleat Cucurbitulæ cum scarificatione scarulis affigendæ, item Frictiones & Ligaturæ dolorificæ.

XLII.

Purgationi locus si sit relictus, primo statim die instituenda est, ut docet Hippocrat. 2 Aphor. 29. 30. & 4. Aphor. 10. Vocantur autem in usum à Recentioribus non vehementiora ut Scammonæata, sed benigniora; qualia sunt Cassia, Manna, Diaprunura lenitivum, Syr. Violar. Infus. Rhabarb. &c.

LXIII.

Exhibenda ea, si alvus durior sit, vel admissio Clystere emolliente vel supposito excitetur,

LXIV.

Sublatâ causâ antecedente veniendum est ad ea, quæ partem affectam respiciunt, & humoris anacatharsin dextrè promovent, cujusmodi sunt Lambitiva : ut
Syr.

Syr. è succo Viol. Endiviæ, Liquirit. de Farfara, Sacch. Violac. Penid. Tragac. frigid. Oxymel simplex. In progressu morbi & febre declinante Rot. Diaireos simpl. Loch de Pino, de Tussilag. de Prassio, sanum & experimentum, de pulmone vulpis, &c.

LXV.

Sunt qui non relictis aliis ea commendant, quæ occultâ quadam proprietate juvare creduntur, qualia sunt Rasura dentis Apri, priapus tauri, cervi, oculi cancri, Maxilla Lucii piscis, pulv. Card. Mariæ, Card. benedict. Hippoglossum, Consolida regalis, quæ cum Aq. Cardui-bened. vel Card. Mariæ, vel Syrupo quodam appropriato exhiberi possunt. Valcriola & alii mirè laudant Papaver Erraticum, idq; vel parato inde Syrupo, vel substantiâ in pulverem versâ, exhibent.

LXVI.

Chymiatri commendant Flor. Sulphur. sublimatos, Ol. Cera extrinsecus & intrinsecus usurpatum, Sal Hypericonis, Spir. Salis Nitri & Vini, Spir. Tartari, Theriac. de Mumia, Diaphoreticum Paracelsi, Aq. Benedict. Rulandi, quodlibet tamen suo tempore legitime exhibendum.

LXVII.

Si verò Natura materiam per urinam criticè educere & expellere tentet, si opus, Diureticorum usu juvanda.

LXVIII.

Si verò commodis remediis Medicus expuitionem procurare non possit, certum est *μετάστασις* imminere; hanc autem ut præcaveat, materiam foras attrahere debet per Vesicatoria, Cucurbitulas, Synapismos, Dropacs.

LXIX. Si

LXIX.

Si verò materia ad thoracis capacitatem delata sit, ibiq; Empyema produxerit, nec natura adeò robusta fuerit, ut expugnare eam possit, tunc metu futuræ tabis, mōnente Hippocr. 5. Aphor. 15. ante diem 40. procuranda expurgatio.

LXX.

Peragitur verò hæc duplici modo, Sectione & Ustione, teste Hipp. 6. Aph. 27. de quorum remediorum administratione videantur Medici practici, qui hanc rem abundè persequuntur.

Atq; hæc de Pleuritide hac vice dicta sufficiant: plura ex Practicorum libris petantur.

Μόνα τῶ Θεῶ δόξα.



LXIX.

Si verò materia ad thoracis capacitat
ibiq̄ Empyema produxerit, nec natura ade
rit, ut expugnare eam possit, tunc metu futu
nente Hippocr. 5. Aphor. 15. ante diem 4c
expurgatio.

LXX.

Peragitur verò hæc duplici modo, Sect
ne, teste Hipp. 6. Aph. 27. de quorum ren
ministracione videantur Medici practici,
abundè persequuntur.

*Atq̄ hæc de Pleuritide hac vice dicta
plura ex Practicorum libris petant*

Μόνον τὰ Θεῶν δόξα.



XL.

Decubitus sit conveniens ægro, diutius protrahatur.

XLI.

Alvi excretioncs vel spontè vel quotidie.

XLII.

Victu instituto commodo Doloris dem is potentiùs urgeat, studendum. 2. de Vict. in acut. & 1. de morb. curatio a Fomentatione auspiciatur, tum ut exp an vera pleuritis, tum ut dolorem mitiga

XLIII.

Si lenis pleuritis sit & benigna famentorum & Cataplasmati usu mitigano etiam tollitur. Quæ si sufficiant, non jora remedia, venæ sectionem scil. & pu dere.

XLIV.

Fomentationes ita fiunt : Aqua cugia madefacta & admota. Item Vesic nienti impleta, calideq; applicata. Item lio torrefacto & Sale sacculis infutis.

XLV.

Cataplasmata fieri possunt ex Mal lilor. Chamomill. Violar. parietar. Sem ni, Anethi, Fenic. Flor. Violar. &c.

XLVI.

Post Fomentationes, si necessitas patur pars affecta linimentis compositis mygd. dulc. Lilior. alb. Chamomill. Aneth Lini, vel Unguent. Resumptivo, Ung. Di

B 2

